



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

Luxemburgi, 1740

CXVIII. Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium
circa electionem vel substitutionem Visitorum Provinciæ Portugalliæ
ejusdem Ordinis Sancti Augustini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74733)

gari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definituri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, prædicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Novembris 1733. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXVIII. Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium circa electionem, vel substitutionem Visitatorum Provinciæ Portugallicæ ejusdem Ord. S. Augustini.

Dat. die 27.
Nov. 1733.
Pont. An. IV.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Petitio.

§. 1. **N**uper pro parte dilectorum filiorum Emanuelis de Albuquerque Prioris Provincialis, ac Definitorum Provinciæ Portugallicæ Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Congregationi Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositæ, exposito, quod, cum in Constitutionibus dicti Ordinis Apostolica auctoritate confirmatis part. 3, cap. 14. num. 5. ubi agitur de electione Visitatoris seu Visitatorum, habeatur, ut eveniente casu obitus, vel alterius deficientiæ Visitatoris five Visitatorum in Capitulo Provinciali electorum, si id ante Congregationem intermediam contingat, ad eandem Congregationem vocari debeant Visitator seu Visitatores præcedentis Capituli Provincialis; sin verò post prædictam Congregationem accidat, jus sit Definitorio privato, alium seu alios in locum deficientium eligendi ac deputandi; In Provincia autem præfata quædam inter duas ejus filiationes seu partialitates alternativa per se. re. Innocentium PP. XII. Prædecessorem Nostrium, stabilita sit, cui omnes ejusdem Ordinis Constitutiones aptæ fuerunt, ac ubi de electione Visitatorum sermo est, disponatur quod duo Visitatores ipsius Provinciæ juxta alternativam hujusmodi eligantur, unus ex una, & alius ex altera filiationibus: ac deficiente alterutro ante dictam Congregationem intermediam, succedat alius ejusdem filiationis Capituli proximioris: & si nullus inveniat illius filiationis, qui succedere possit, eligatur a Definitorio alius filiationis prædictæ: sicut si deficiat post Congregationem intermediam prædictam; licet hujus dispositionis intelligentia & explicatio, in postremis verbis aliquantum subobscura, desumenda videretur a clariori & literali dispositione supradictarum Constitutionum in casu cujuscumque deficientiæ Visitatoris post

dictam Congregationem intermediam; nihilominus Exponentes prædicti ad evitandas contentiones five controversias, quæ ex ejusmodi verborum ambiguitate excitari possent, memoratæ Congregationis Cardinalium sententiam desuper exquirere opportunum duxissent: ab eaque petissent, quatenus declarare ac definire vellet: An eveniente casu deficientiæ unius vel utriusque Visitatoris post celebrationem Congregationis intermedie, electio substituendorum ad Definitorium privatum spectet: seu potius ad officium hujusmodi Visitatores Capituli præcedentis assumendi sint, prout assumi deberent, si deficientia ante celebrationem dictæ Congregationis intermedie contigisset in casu &c. Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur:

Sacra Congregatio Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium proposita, referente Eminentissimo Cardinali Gotti Ponente, attenta relatione Patris Procuratoris Generalis Ordinis, re mature perpenfa, censuit decernendum, prout decrevit & declaravit: Affirmative ad primam dubii partem, & negative ad secundam; dummodo tamen non sit completa Visitatio, nam Visitatione completa, nec electioni nec substitutioni locus erit. Romæ 13. Novembris 1733.

Card. Franciscus Barberinus.

I. Archiepiscopus Corin. Secretarius.

§. 2. Cum autem, sicut pro parte dictorum Emanuelis & Definitorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi, Decretum hujusmodi, quò firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderant; Nos, ipsos Exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes, supplicationibus, illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinatis, Decretum præinsertum auctoritate Nostra Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus; illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

§. 3. Decernentes, ipsas præsentis literas, semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore quancumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inconcusse observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definituri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis; necnon, quatenus opus sit, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis.

§. 5. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis

S. Congregationis Decretum.

Confirmatur.

Harum Literarum observantia.

Obstantium derogatio.

aliàs in suo robore permanfuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 23. Novembris 1733. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

CXIX.

Breve Sanctiſſimi Domini Noſtri circa appellationes & recurſus, a Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini gradatim ad Ordinem ejuſdem Superiores faciendos, ad Fratres Diſcalceatos Congregationum Italiæ & Germaniæ dicti Ordinis extenditur.

Breve hujusmodi lege Superius.

Dat. die 7.
Dec. 1733.
Pont. An. IV.

C L E M E N S P A P A X I I .

Ad futuram rei memoriam.

Aliud Decretum ejuſdem formæ pro Ordine S. Auguſtini emanatum.

§. 1. **A**liàs Nos generali decreto dudum a Congregatione tunc exiſtentium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, negotiis & conſultationibus Regularium præpoſita, circa appellationes eorumdem Regularium cujuſvis Ordinis, antequam Sedem Apoſtolicam adire valeant, juſtu ſel. rec. Sixti PP. V. Prædeceſſoris Noſtri edito, inhærentes, ac ſupplicationibus pro parte dilecti filii Nicolai Antonii Schiafinati Prioris Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini Nobis humiliter porrectis inclinati, auctoritate Apoſtolica ſtatimus, quod Fratres ejuſdem Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini caſibus, in quibus eis de jure vel juxta Conſtitutiones ipſius Ordinis appellare vel recurrere licebat, id deinceps non aliter facere poſſent, quàm gradatim, a Priore ſcilicet ad Provincialem, Vicarii & Provinciali ad Generalem dicti Ordinis, itaut cauſæ appellationis ſeu recurſus hujusmodi, antequam ab eodem Priore generali cognitæ & definitæ fuiſſent, extra Ordinem prædictum deferri & agitari nequirent; ac propterea omnibus Romanæ Curiæ Tribunalibus, ac Judicibus, & quibuſvis etiam Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ præfatæ Cardinalium Congregationibus, necnon dictæ Sedis Nuntiis pro tempore exiſtentibus, ne Fratrum Ordinis prædicti appellationem ſeu recurſum admitterent, cauſasque ejuſmodi cognoscerent, niſi prius eis legitime conſtituiſſet, illas per dictos Superiores, memorato ordine ſervato, cognitæ & definitæ fuiſſe, ſub pœna nullitatis actorum ac inde ſecutorum, & quoad Religioſos appellantes vel recurrentes, ſub gravibus noſtro & Romani Pontificis pro tempore pariter exiſtentis arbitrio pœnis, prohibuimus, & aliàs, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis die 15. menſis Septembris proxime præteriti expeditis literis uberius continetur.

Quare petunt, ut ad Fratres Congregationum Italiæ & Germaniæ extendatur.

§. 2. Cum autem, ſicut dilectus filius modernus Vicarius Generalis Congregationis Italiæ & Germaniæ ejuſdem Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini Diſcalceatorum Nobis nuper exponi fecit, ipſe pro quiete & tranquillitate dictæ Congregationis, regulariſque diſciplinæ in ea conſervatione, literas noſtras præfatas ad Fratres Congregationis prædictæ, addita juxta quaſdam rec. mem. Clementis PP. VIII. Prædeceſſoris itidem Noſtri in pari forma Brevis literas die 23. Novembris 1604. emanatas, pœna privationis vocis activæ & paſſivæ, eo ipſo per tranſgreſſores tam Superiores quam Subditos incurrenda, extendi; ac in-

super, ne dicti Fratres reſcripta ad totam Congregationem præfatam ſpectantia abſque licentia Vicarii & Definitorum Generalium pro tempore quoque exiſtentium ejuſdem Congregationis a Sede Apoſtolica procurare audeant, quemadmodum per Conſtitutiones ipſius Congregationis part. 3. cap. 6. §. 2. cavetur, prohiberi ſummopere deſideret; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, quatenus in præmiſſis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, prædictum Vicarium Generalem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes: necnon literarum Noſtrarum præfatarum tenorem, & alia quæcumque, etiam ſpecificam & individuam mentionem & expreſſionem requiruntia, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis habeates, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, ſupradictas noſtras literas ac ſtatutum & prohibitionem, pro Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini facta, ſicut præmittitur, ad Fratres Congregationis Italiæ & Germaniæ ejuſdem Ordinis Diſcalceatorum; adeout in cauſis eorum appellationis vel recurſus ſimiliter gradatim procedatur, nimirum a Priore ad Provincialem & Definitorium Provinciale, & ab his ad Vicarium Generalem & Definitorium Generale, priuſquam Sedes Apoſtolica audeatur, ſub pœna privationis vocis activæ & paſſivæ, per Fratres & Superiores dictæ Congregationis, qui præmiſſis contraverint, eo ipſo incurrenda, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus & ampliamus. Cæterum quoad procurantes reſcripta a Sede prædicta, univerſam Congregationem præfatam concernentia, ſine licentia dictorum Vicarii & Definitorum Generalium, Conſtitutiones ipſius Congregationis ſervari mandamus.

§. 3. Decernentes, eandem præſentes literas ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus fortiri & obtinere; ac illis, ad quos ſpectat & pro tempore quancumque ſpectabit, pleniffime ſuffragari, & ab eis reſpectuè inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolicæ Auditores, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon præfatorum Ordinis & Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indulciis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conſeſſis, confirmatis, & innovatis.

§. 5. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inferriſ habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 7. Decembris 1733. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

Prout de facto extenditur.

Claulſula.

Conſir-